

niae, comite Diderico de Werdern, Gunzolino de Crozue, Botone de Hohimbure, Ulrico de Ticche, Stepone de Mandre, Arnulfo de Bureldorf, Conrado Schihrstein, Conrado de Winingen, Hermannno Rendismul, ipse Fridelhelmus pro se et nomine uxoris suae nec non sororum suarum una cum nominato fratre suo Theoderico quinque mansos apud Odsetin et reliqua bona eorum in ipsa villa nobis resignantes per manus nostras contradiderunt Diethmaro venerabili abbatu et sanctae Mariae perpetuae virgini in Walchinriet omnibusque monasterii ejusdem fratribus obnixè postulantes, ut factam donationem ratam habere vellemus et autentico nostro confirmare, ne forte prolixitate temporis hoc, quod coram nobis rationabiliter factum est, in ambiguum deduci posset seu in irritum revocari. Regiae igitur pietatis liberalitatem tenere volentes et commodantibus monasterii Walchinriet et fratrum Domino ibidem famulantium invigilare, auctoritate nostra confirmamus eis et omnibus eorum in perpetuum successoribus praefatos quinque mansos apud Odsetin cum omni justitia et integritate et quicquid ibi habuerunt supradicti ministeriales nostri in aquis, pratis, pascuis, silvis, agris cultis et incultis, statuentes et praecipientes firmiter, ut nulli unquam personae altae vel humili, ecclesiasticae sive saeculari, oportunum sit fratres de Walchinriet in bonis illis inquietare vel exinde aliquam eis movendo quaestionem huic nostrae confirmationi ausu temerario obviare, quod si quis contempnaverit facere, poena sexaginta librarum auri feriatur, quarum medietas inferenda est camerae nostrae, reliqua passis injuriam persolvenda. Ad cuius rei evidentiam privilegium hoc conscriptum bullae impressione jussimus corroborari. Testes hii sunt: Oddo Frisingensis episcopus, Gardolfus Halverstadensis episcopus, Didericus marchio Missenensis, comes Didericus de Grösche, comes Fridericus de Zolre, Gevehardus puregravius Magdeburgensis, Gerhardus, frater suus, Ulricus Chalp, Heinricus dapifer de Walpurg et alii plures.

Signum domini Philippi secundi Romanorum regis (L. M.) invictissimi.

10 vi

1,

1i

nostrae

16